



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam  
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In  
Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo  
Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Prologvs.


**urn:nbn:de:hbz:466:1-38601**

stitutiones, & Instituta benè nota Visitatores habere studebunt, ut possint aliorum defectus integrè agnoscere, ac exactius corrigere; Morum deinde gravitatem, ac vitæ integritatem, ac multò magis sanctitatem ita præ se ferant, ut quod aliis proponunt, suo exemplo sibi propositum in primis ostendant.

S E R I E S D I C E N D O R V M.

**D**Vplici modo, quantum ad præsens attinet propositum, Visitator procedere potest, & debet. Primò præmittenda est illi inquisitio omninò generalis, qua in genere inquiritur; An subditi proprium Institutum, & Regulas accuratè observent? An fortè in earum observatione passim deficiant? An præterea relaxationes Regulæ, ac Constitutionum transgressionem impune à Superioribus permittantur? Deinde descendere debet ad inquisitionem specialem. Est autem inquisitio specialis illa, in qua de certa persona, sive de certo peccato inquiritur, v. g. An Petrus commiserit tale peccatum? Totus igitur visitationis progressus, tam inquisitione generali, quam speciali, circumstantiisque aliis, de quibus infra, observatis inchoatur, ac perficitur. Quare quid ad utriusque generis inquisitionem pertineat, quatuor Tractatibus breviter absolvemus.

**I**N PRIMÒ; qualiter debeat fieri inquisitio generalis, & quæ in ea peti, aut interrogari possint, & de tribus viis, nempe accusatione, denuntiatione juridica, & denuntiatione Evangelica (præmissis interim de correctione fraterna integro Tractatu, aliisque ad visitationem omninò spectantibus) per quas manifestari Superioribus delinquentium peccata solent, differemus. **I**N SECUNDO; de modo speciatim inquirendi, tam ad instantiam partis denunciantis, quam ex proprio munere Prælatorum; ubi de prærequisitis ad juridicè instituendam inquisitionem plenè, favente DEO, agendum erit. **TERTIUS** vero Tractatus duo principaliter, quæ inquisitionem specialem consequuntur, continebit. Primò enim de modo formandi processum, de testium examine, deque à reo confessione exigenda dicemus. Secundò de sententia à Visitatore ferenda, ac de appellatione, quando, & quibus sit concedenda, qua poterimus brevitate pertractabimus. **QUARTÒ** demùm Tractatu penas malefactoribus secundùm delicti qualitatem infligendas: ne pro libitu Prælatus in hac parte excedere contingat, exponemus.



**T R A C T A T U S I.**  
**D E I N Q U I S I T I O N E G E N E R A L I,**  
 & de illis, quæ eam consequi solent.

**P R O L O G V S.**

**I**n inquisitione generali Prælatorum visitatio initium sumere debet; Inquisitione verò generali præmissa, manifestari solent Visitatori peccata, si qua sunt in illa domo, aut per viam accusationis, aut per viam denuntiationis juridica, aut tandem per viam denuntiationis Evangelica, quibus permoti Prælatus ad inquisitionem specialem de culpa sibi revelata faciendam, juxta regulas Juris procedere debent, de qua quidem inquisitione sequenti Tractatu differemus.